



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn


### **Liber Theologiæ Moralis, Viginti Qvatvor Societatis Iesv Doctoribvs Reseratvs**

**Escobar y Mendoza, Antonio de**

**Lvgdvni, 1659**

Cap. I. De Legis diuisione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41066**




## EXAMEN PRIMVM

Circa materiam de Legibus in communi.

### CAPVT PRIMVM.

#### De Legis diuisione.

1.  *VID est Lex?* Ordinatio rationis promulgata ad bonum commune ab eo, qui curam habet communitatis, seu qui potestatem habet obligandi.

2. *Ad Legem condendam* quotnam requiruntur conditiones? *Quinque.* 1. Vt sit iusta. 2. Vt promulgetur. 3. Vt à legitimo superiore feratur. 4. Vt ob bonum commune immediate vel mediate indicta sit; lex enim communitati omnino inutilis non obligat. 5. Vt acceptetur.

3. *Indica Legis diuisiones.* Primò, est *Lex aeterna*, seu mens & ratio Dei bona præcipiens, mala prohibens. Secundò, *Lex diuina*, seu quæ vim habet, quatenus à Deo proficiscitur, est duplex, *Verus* seu *Mosaica*; *Noua*, seu *Euangelica*: adhucque subdividitur in diuinam naturalem (qua idem præcipitur, quod naturali lege) vt sunt *Decalogi* præcepta: & in diuinam positivam, quæ præcipitur aliquid, quod à Lege naturali non est sancitum, vt præceptum præmittendæ confessionis ante sumptionem *Eucharistiæ* ab eo qui est sibi in lethali crimine conscius. Tertiò, *Lex humana*, seu quæ humana auctoritate fertur, dependenter tamen à Deo: estque duplex: *Ecclesiastica*, & *secularis*. Quarto, *lex naturalis* seu dictamen ac lumen nostræ rationis naturale, quo quidem quid faciendum, quid vitandum agnoscimus. Quintò, *Lex gentium*, seu quam omnes homines naturali ratione ducti constituunt; cuiusmodi est illa: *Possessiones sunt dividenda.* Sextò, *lex Ciuilis*, seu quæ simpliciter hominum auctoritate sancitur. Septimò, *Lex Canonica*, quæ Ecclesiæ auctoritate decernitur, cui quidem obediendum contra ciuilem repugnantem; Ecclesia enim leges ciuiles valet abrogare. Octauò, *Lex affirmatiua*, quæ percipit aliquid faciendum; & *negatiua*, quæ aliquid fieri videtur prohibere.